

multis crucem fixit, quomodo luna in Meridiano existente incrementum maximum fiat, videtur sibi optime constare posse.

§. XVI.

Ut vero progrediamur ad menstruum lunæ motum §. VI. antehac notatum, quem Cartesius saluat, dicendo: Novi- & Plenilunia semper incidere in Perigæa, Quadraturas vero in Apogæa terræ, unde effectus fortiores vel remissiores sponte fluunt. Quo absolutè vero: Tum prorsus evictum esset quod volumus. Ast fatendum sanè hoc non perpetuum esse, verum interdum contrario modo fieri, prout ex Astronomicis notum est. Est igitur hic si quis alius nodus Gordius, qui Cartesii ingeniosissimam hypothesein aggravat, quo nomine etiam Dn. Castelet in Epist. ad Abb. Bourdelotum eam culpat. Sed du Hamel *part. 11. Tract. 11. Dissert. 1. cap. 5.* de hac re differens refert, quasi huic recensitæ difficultati, ab erudito quodam juvene satisfactum esset, suppresso tamen nomine & modo; Quod ut etiam indicasset, optandum fuisset, quo alias egregiæ ac in omnibus cæteris satisfaciendi Hypothesi, perfectum suum decus constare potuisset. Ut ut vero sit neque hic scrupulus nos avellet, quandoquidem etiamnum de veritate observationum, an æstus maximus semper in ipsis Novi- & Pleniluniis fiat, dubitari potest. Sic enim Ricciolus *l. 9. Almag. p. 365.* Dantur tamen & hic si Historicis præsertim Vet. credendum irregularitates. Alibi in Noviluniis majores sunt æstus, alibi in Plenil. Istud ad Calecutium, hoc ad Indii ostia. Alicubi non ipso Novil. aut pleno die, sed biduo, & triduo post, ut ad Diepam. Firmiter proin eredimus adhita Eruditorum ac Curiosorum diligentia, modum aliquem inventum iri ex hoc Labyrintho eluctandi, quandoquidem in omnibus cæteris tam egregius est naturæ & rationum consensus, nec ulla alia quam luna horum effectuum Domina esse potest.

§. XVII.

Ut vero annuæ satisfiat æstus varietati, qui circa Novilunia & Plenilunia in Solstitiis minimus est, in æquinoctiis vero maximus; Sciendum, quod sicuti Oceanus medius quasi subjacet æquinoctiali lineæ, ut inspectio Globi edocere potest; Affluxus etiam alias ut supra dictum, circa Novi- & Plenilunia plerumque maximus, idcirco accedente causa supra dicta, necessum est effectum

ctum